15

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE

HÆMORRHOIDIBUS,

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

D. GERLACI SCHELTINGA,

J. U. D. ET JURIS CIVILIS IN ACAD. LUGD. BAT.
PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

JOANNES LETCH,

Ad diem 14. *Auguſti* MDCCLXI. *hora decima loco ſolito.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CORNELIUM DE PECKER, 1761.

DIGNISSIMO SUO PATRONO

JOSIÆ COLE, M. D. LOND.

VIRO MAXIMÆ HUMANITATIS ET INDULGENTIÆ
INSIGNIS INGENII ET SINCERO GENERO-
SISSIMOQUE

AMICO

UT PARVUM GRATI ANIMI TESTIMONIUM
OB MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA.

Hoc Tentamen Medicum magna
cum obſervantia

D. D. D.

JOANNES LETCH.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE DE HÆMORRHOIDIBUS.

Inter varios morbos, quibus obnoxium eſt corpus humanum, pauci moleſtiores inveniuntur, & interdum acutiores Hæmorrhoidibus, quarum tractationem, quasdam ob cauſas eligi.

Hæmorrhoides (ab αἷμα ſanguis & ῥέω fluo) Tumores dolentes ſunt, orientes circa ambitum Ani, vel inferiorem partem Recti, quæ ex earum ſitu dividuntur in internas quando intra anum ponuntur, & externas ubi extra,

 utra-

utraque harum iterum dividitur in fluentes cæcasque.

Hic de partium Anatomia pauca dicemus. Rectum (a recto progreſſu, non a forma ſic dictum cum ex ſe flexum ſit) ubi Colon finitur, a ſuperiore parte oſſis ſacri incipit, ad quod & Coccygem nectitur a peritoneo, & in viris cervici Veſicæ urinariæ, in foeminis vero cervici uteri alligatur, deſinetque in anum.

Tunicæ ani ſunt, 1. Membranoſa, quæ multo adipe refercitur; unde adipoſa nonnunquam nuncupatur. 2. Musculoſa, quæ hic eſt craſſior quam in cæteris inteſtinis, quia expellendis fæcibus deſtinatur, etiam ex quibusdam fibris ligamentorum coli divergentibus, & in unum cum longitudinalibus fibris hujus inteſtini coeuntibus, effici poteſt. 3. Nervoſa, (ſic vulgo vocatur) & vasculoſa vel villoſa, quæ in hoc, eadem fere, ac in cæteris Inteſtinis craſſis invenit, & in qua ſunt complures Glandulæ folliculoſæ, (ſolitariæ & aggregatæ dictæ) pro muci ſecretione, qui exprimitur ad fæces lubricandas tempore expulſionis, in his folliculis interdum hoſpitari dicit Morgagni genus illud vermium qui Ascarides nominantur.

Muſculi ani ſunt ſphincter, qui a Winſlow * in tres dividitur, hi fæces inhibendo ni invite procedant inſerviunt; & levatores qui procidentiam ani impediunt. Rectum, a plexu myſenterico inferiori, & ſub myſenterico ſeu Hy-

* Winſlow Anat. Sect. 8. No. 179.

Hypogaſtrico, anus a gangliis ſubmyſentericis nervos accipit.

Vaſa Recti ſunt, arteria myſenterica inferior, quæ initium capit ab Aorta deſcendente, circiter digitum ſupra bifurcationem illiacarum arteriarum; paulum ex currens, in tres vel quatuor ramos dividitur, quorum poſtremus deorſum tendens poſt inteſtinum Rectum, ei per totam viam diſtribuitur, vena meſaraicæ minoris huic reſpondit, in dextrum & interdum in ſiniſtrum ramum vena portarum aut ſplenicam deſinens; videtur etiam cum ſpermaticis communicare, ſed in myſentericam non transfundit; hæc arteria, ſcil. myſenterica inferior, ubi ad Recti finem appropinquavit, non amplius rectnm curſum tenet, ſed dividit & finem inteſtini in circulorum modum ambit * Hæc vaſa Hamorrhoidalia interna nominantur, interna autem iliaca vel hypogaſtrica cum paulum proceſſerit, vaſaque diſtribuerit in adjacentes partes, in arteriam umbilicalem terminatur, quæ deſcendens in latus veſicæ, ad illud viſcus proximasque partes in ſexu utroque vaſa mittit, ſed in adultis, hæc arteria umbillicalis clauditur. A convexo latere curvaturæ hypogaſtricæ arteriæ quatuor vel quinque rami oriuntur, qui a Winſlow, Iliaca minor, Glutæa, ſciatica, Pudica communis, ſeu Hypogaſtrica & obturatrix nominantur; deque his ſeorſum agitur. Sed quoniam de Hæmorrhoidibus dicturi ſumus, de hisce quæ prorſus neceſſaria ſunt, ad hos morbos recte intelligendos, agemus.

Igitur

* Euſtachii Tab. 27.

Igitur arteria Glutæa, nunc huic, nunc alii horum ramorum annexa, ſocio miſſo, a pelvi una cum ſciatico nervo, ad ſuperiorem ſinus oſſis innominati partem exit, & Gluteo maximo & medio diſtribuitur, & in tranſitú ad partes adjacentes, ad inteſtinum rectum & musculos ani, ramos dimittit, particularem Hæmorrhoidalem internam efficiens. Pudica communis a trunco ſibi & Glutæa communi nonnunquam oritur, duos præcipuos ramos dimittit, quorum unus per magnum ſinum oſſis Ilii, una cum Glutæa & ſciatica tranſit, tum in duos ramos ſe dividit, quorum unus poſt ſpinam Iſchii pergit, tranſiens inter duo ligamenta, quæ ſunt inter hoc & os ſacrum, currens in interiorem tuberculi Iſchii partem, usque ad initium corporis cavernoſi Penis; hic in plurimas parvas arterias dividitur, quarum una, ad ſphincterem ani pergit, ſub nomine Hæmorrhoidalis externæ.

Venæ Hæmorrhoidales externæ in venam Hypogaſtricam ſe exonerant, ubi pelvi exit ſupra ligamentum, quod eſt inter inferiorem lateralem partem oſſis Sacri & ſpinam oſſis Iſchii; Hæmorrhoidales externæ cum internis communicant, quæ ex meſaraica minori, ramo venæ portarum veniunt. Hæc vaſa, ex profluvio ſanguinis, qui ex iis, in nonnullis hominibus quibusdam temporibus effunditur Hæmorrhoidalia dicuntur.

Nunc, finita diſcriptione anatomica partium illarum, quæ ad morbum ſpeciatim pertinent agam de morbo ipſo.

Hic

Hic morbus in duo genera a nonnullis dividitur; ſcil. cæcas Hæmorrhoides (ut antea dictum erat) & apertas; inter ſe differunt, numero, magnitudine, forma, & ſitu; ut aliæ in ano, aliæ in ſphinctere ſint, &, ut opinio eſt multorum in pudendo, & ore cerviceque uteri, ſed raro in ipſo utero *; easque ſemper major aut minor gradus inflammationis præcedit, ſymptomata quod plerumque, per aliquot tempus poſtea obſervatur.

Loci affecti in Hæmorrhoidibus fluentibus, ſunt arteriæ, non venæ, ut veteribus placuit. In cæcis Hæmorrhoidibus, arteriæ ſanguinem in cellularem membranam effundunt, non venæ ſunt, quæ diſtenduntur in enormes hos tumores, qui in hoc morbo apparent.

Multæ Hypotheſes de cauſa Hæmorrhoidum, in medium prolatæ ſunt quas apud ſcriptores videre eſt; e. g. Hippocrates * hoc modo explicat: Bilis aut Pituita ad venas quæ in ano ſunt decumbens, ſanguinem qui in his eſt calefacit. Incaleſcentes, autem venæ ſanguinem ex proximis venis attrahunt, eoque; impletæ, recti inteſtini partem interiorem in tumorem attollunt: itemque Nicolaus Piſo; cum Hepar generat craſſum ſanguinem, & Lien debilis fit, ut ſuperfluem humorum attrahere non poſſit in vaſa ani mittitur. Sed iis non ſatis compro-

* Vid. Rodr. Lucit. de morb. mul. lib. II. pag. 215. & Celſus de medic. pag. 401.
* Hippoc. Fœſi pag. 891.
* Nic. Piſo de cognoſcend. & curand. morb. pag. 116. tom. 2.

probatis, perſequar illam, quæ probabilior mihi apparet.

Cauſæ —. Hæmorrhoides, ab una ferè cauſarum ſequentium producentur. 1. A. Plethora, quando plus ſanguinis adeſt, quam vaſæ, ſine nimia diſtentione, capere poſſunt; igitur, qua data porta ruit, quod, ſecundum Sanctorium, in hac aut illa parte fit, ſemel ſingulis menſibus *, quodque ex ordine fieri ſæpiſſime obſervatum eſt; & quibusdam, etiam nota eſt hora qua redditurus ſit.

In actis Philoſophicis Londinenſibus, memoriæ prodita eſt hiſtoria Hyberni cui Hæmorrhagia fuit in minimo digito, quique ſine ea non valebat. Et Puellæ Amſtelodamenſis, cui ſudor ſanguinis a Capite, ex ordine profluebat.

2. Quædam ſunt habitudines corporis, in quibus citius, quam in aliis accidunt, cum enim homo valde macer eſt, ut ſolita adipis quantitas non ſit circa inteſtinum, cujus præcipuus uſus eſt, partes lubricare, ad præbendum facilem tranſitum fæcibus, atque ubi hæc deeſt, hærent in tranſitu ſcybala, majoremque compreſſionem exigunt pro expulſione igitur inter ſingulos nixus (a contractione muſculorum abdominis & Diaphragmatis) contenta abdominis deprimuntur, illaque prementia ſuper contenta Pelvis; ſanguis arterioſus majore copia

* Vid. Sanct. Aphor. 66.

pia mittitur, & venoſus impeditur; ob eandem cauſam Le Dran, dicit, quod mulieres gravidæ, parturientes, quæque parturientes difficultates habuerint, ſæpe Hæmorrhoidibus laborant.

3. Emotiones mentis impetuoſæ, iracundia præſertim; a qua oeconomia animalis exagitata eſt, nervi violentiſſime affecti ſunt, circulatio ſanguinis aucta eſt, calor & rarefactio humorum ſuccedunt, vaſa diſtenduntur, obſtructionesque producuntur.

4. Inflammatio vaſorum Hæmorrhoidum, a medicamentis catharticis acribus.

5. Evacuationes criticæ, aliorum morborum.

6. Concretiones lapidoſæ, in Veſicæ Urinaria, & ulcera Penis aut Recti *.

7. Violens inter equitandum agitatio, iis, qui non ſoliti ſunt †.

8. Amiſſus membri in ſanitate perfectione; cum enim Ventriculus cæteræque viſcera chylopoietica, eandem ſuccorum quantitatem parant, ac ante membri amiſſum; circulationis ambitu diminutæ, ut plethora ſequatur neceſſe eſt, & facile ad hæc vaſa ſanguis prolabitur, quum ſint maxime dependentia totius corporis, venæque valvis adſuſtinendum tantum ſanguinis carent.

* Vid. Nicol. Piſon de cogn. & curand. morb. tom. II. pag. 118

†. — Sthal. pag. 793,

Studioſi Hæmorrhoidibus obnoxii ſunt, ab inclinante poſitione, qua aptiſſimum ſitum ſtagnationi præbent; quando enim motus, ut in ſedentaria vita, deeſt, ſanguis humoresque non circulant libere, illorum perſpiratio impeditur, & copioſæ ſordes viſcidæ in venis colliguntur.

Itidem, ii, qui ſolito labori ſuperſederunt, vel ſumptuoſius ſolito vivunt, aut quibus aliqua conſueta Hæmorrhagia impeditur, v. g. Phlebotomia, menſes &c. Hæmorrhoidibus obnoxii ſunt.

Diagnoſis. ——. Æger in principio morbi, calorem & pruritum ſentit circa anum, quibus dolor, qui gravior graviorque fit, ut tumores diſtenduntur, adeo ut interdum ille neque cubare, neque ſedere poſſit, ſine maxima difficultate, & in dejiciendis fæcibus cruciatus adſint intollerandi.

Tumores modo duri & turgidi, modo molles & flaccidi ſunt. Internæ graviores externis, Cæcæ, quam fluentes. Teneſmus continuus & in viris ſtranguria frequenter accedunt, dolorque interdum in coitione in foeminis *.

Dum Tumores disrumpuntur omnia ſymptomata paulatim evaneſcunt, ſanguis primum niger, fæculentus, craſſusque effluit, tum rubicundus; vero fluxus diu duret, æger debilis languidusque fit, & circa coxendicem lumbosque dolorem ſentit.

Sed

* Vid. Med. Eſſays Vol. II. pag. 339.

Sed ſi nulla evacuatio ſit, pulſus fortior fit, increſcit calor, fitque dolor, acutior, ardens & fixus, palpitatio ad os ſacrum ſentitur, magna ſitis, ardentiſſimaque febris.

Hic quædam ſymptomata prope eadem ſunt, ac in inflammatione Inteſtini Recti, & interdum difficile erit inter hæc & illa diſtinguere; ſed quum morbus prope idem ſit, eandemque medelam poſcat, nullius momenti eſt, utrum diſtingui poſſint, necne.

Ratio Symptomatum ——. Tumores, ab extravatione ſanguinis in membranam cellularem producuntur. Calor &c. ſymptomata ſunt, quæ inflammationem ſemper comitantur & ſequuntur. Dolor excruciens dejiciendis fæcibus, a ſtercore durato, eo tempore tumores comprimente violenter. Dolor, in coitione in fœminis, a Pene expandente Vaginam, quo pacto, iidem effectus producuntur, ac in caſu præcedente. Dolor creſcit, prout Tumores increſcunt, quia diſtentio major fit, a qua major compreſſio & irritatio, vaſorum & nervorum producitur. Tumores, plerumque in principio morbi, & dum ſymptomata violenta (ut inflammatio, dolor &c.) reſtant, duri turgidique ſunt; molles & flaccidi quando, ea ſymptomata diminuuntnr, & ſanguis extravaſatus incipit abſorberi.

Hæmorrhoides internæ, graviores ſunt, externis, quia patiuntur majorem gradum compreſſionis, cum plus minus, remora excretionis fæcum, ergo major vis ad ha-

rum expulſionem requiritur, a ſitu quoque majorem calorem patiuntur, qui diſtentionem auget.

Cæcæ, quoque graviores fluentibus, ſunt ; a fibris nervoſis (propter diſtentionem Tumorum) ſemper contentis; quum per fluxum ſanguinis partim ſubſidunt, & nervi relaxuntur.

Teneſmus. —— quoniam Tumores obſtruunt tantopere inteſtinum, ut impediant egreſſum fæcum, quod una cum dolore & inflamatione producit irritationem atrocem ac perpetuum cupidinem alvum exonerandi.

Stranguria in hominibus. ——. Cervix Veſicæ ponita ſuper Rectum (quod jam patitur dolorem inflammationemque vehementem) minime mirum eſt, ut pars ſic contigua compateretur, præſertim cum ab eodem trunco nervos accipiant.

Prognoſis. ——. Plerumque benigna erit, tamen quædam exceptiones ſunt, dubi ſaltem eſt; Putà, ſi homo huic evacuationi bis aut ſæpius, anni ſpatio, conſuetus fuerit, & ſi ſub ſolitum tempus Hæmorrhoidum evacuatio non accederit; efficitur eſt ſcotomatibus auriumque tinnitu, quæ leviorem cerebri affectionem docent; & ſi obſtructio manſerit, vel fluxus ſanguinis citius ſuppreſſus fuerit; Pleuritides, Peripneumonia, etiam Apoplexia Lethales, maniaque interdum ſequuntur: Hinc Hippocrates, apoplecticis Hæmorrhoides utiles eſſe dixit, & in aphoriſmo vigeſimo primo, ſectionis ſextæ; inſanientibus, ſi varices aut Hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ

niæ ſolutio ſit. In eo ſtatu morbi, memorato a Lommio *, ubi ſanguinis fluxus, violentus & diuturnus fuit, ſæpe valde periculoſus fiunt, vires morbo affectæ conſumuntur, & Hydrops vel marasmus ſequitur. Itidem, ſi fierunt ſchirroſæ; ut omnes ſchirri, obnoxii ſunt degenerare in Cancros.

Sed quanquam hæc, in hoc morbo †, non ſæpe apparent, tamen Medicus obſervare debet, quo modo natura ſe levare conatur, & quocunque ſponte vergere obſervatur, per quas, tales medelæ fieri ſolent, ut, vel juvare illam, vel probabiliter periculum impendente avertent.

Indicationes curatoriæ in hoc morbo, ſunt, ſi ſanguis in nimia quantitate fluat, conari debemus, aperta vaſorum orificia claudere; ſed ſi Hæmorrhoides ſuppreſſæ ſunt, & mala ſequuntur, aptis medicamentis, eas debemus promovere; ſic non naturales dictæ bene temperari debent, victus enim nimis craſſus & ſalſamentorum diu adhibitus, Hæmorrhoidibus habitum præbet, generando crudum & minus ſubtilem Chylum, qui magis viſcidum & fæculentem ſanguinem producet; hæc fortaſſe una cauſa eſt, cur in adultis frequentiores ſunt.

Methodus Medendi. —— Hæmorrhoidibus laborantes, a vino abſtinere debent, eorumque cibi debent eſſe leves, concoctu faciles, ac tales ut parum fæcum gignant; vid.

* Lommius Obſerv. Med. pag. 175.
† Vid. Van Swieten, de Pleuritide, Tom. iij. pag. 24.

vid. carnes pullorum, jura, pulticula, pulmentarium, *&c.* clyſteribus emollientibus, & uſu alicujus electarii aperientis (cum flore vel lacte ſulphuris in ejus compoſitione) alvus laxa ſemper ſervanda eſt, & ab exercitatione preſertim equitatione dum morbo laborant, abſtinendum eſt.

Porro, in Hæmorrhoidibus cæcis, methodus tractationis, conſiſtit, 1mo. in mitigando dolorem & inflammationem, deinde, in removendo morbo; incipiendum igitur adhibendo clyſteres emollientes anodynos; tum, ſanguis e Brachio mittatur, ſi vires ſinant; leni etiam purgatione utendum pro ſervandis inteſtinis laxis, partes fovendæ ſunt, decocto. Althææ, florum Chamæmeli, ſeminis Lini, & albi Papaveris capitum, poſt hoc unguentum ſambuci cum nonnulla cera alba, ut durius fiat (unguentum enim cum ex ſe molle ſit, ſi ſolum applicaretur, a calore loci cito liquifieret & exſiccaretur, eo pacto tumores obnoxiæ forent frictioni, a qua, morbus augeretur) paulo opii in pulvere, illinatur ſuper pannos lini mollis, & applicetur ad partes affectas.

Interdum noſcitavi magnum levamen (poſt varios remedios parum ſucceſſere) adhibendo, ſæpiſſimæ, linteolum madefactum, cereviſia tenui calefacta. Scillæ vel Cepæ concoctæ in oleo Chamemeli, cum parva quantitate ceræ, in unguentum confectæ ſecundum artem & applicatum, in promovendis iis plurimum valet.

Sed, ſi hi remedii non valeant, opus eſt ſanguinem extra-

extravaſatum evacuare, quod his modis fit; vel applicatione Hirudinum, vel ſcalpello, quod nonnulli Hirudinibus præferunt, quoniam illæ ſolum ſanguinis tenuem partem eliciunt.

Eæ Hæmorrhoides ſitæ ſunt, intra anum, his medelis quandoque non cedunt, ſed pronæ ſunt ad prolabendum, in dejectione, plurimum turgescunt, adeo valde difficile eſt imo interdum impoſſibile, eorum reductionem efficere; ita Gangrena ſequi poteſt, ob ambitum ani, fingente ſuper eos ſpeciem ligaturæ: cum ſic res ſe habet, extirpari debent, vel Ligatura vel Scalpello; poſt hoc enemata liquantia injiciantur per aliquot dies, quo diſtentio partium impeditur, & cicatrix firmabitur, medelaque confirmabitur.

Quando Hæmorrhoides modice fluunt, ſalubres ſunt, præſertim ſi ſanguis niger & craſſus fluat, quando, uti dictum eſt, corpus multis vitiis liberatur; & ſi quis inveteratas Hæmorrhoides curare velit, omnino unam relinquere debet *; & ſi nullam reliquerit, cavere convenienti victus ratione, ne talis ſucci copia gignatur.

Si autem immodice fluant, regimen ſequens obſervandum eſt; aër humidus & calidus vitatur, cibi ſint faci-

* Hippocr. Aphor. 12. Sect. 6. Hæmorrhoides ſananti diuturnas, ſi non una ſervata fuerit, periculum eſt hydropem aut tabem accidere.

lis coctionis , ac tales, ut parum fæcum gignant, potus ſit ptiſana , aqua bulliens ſuper panem toſtum infuſa, lac coctum cum amylo aut farina hordei, vinum rubrum aqua miſta , vel aqua in qua ferrum candens igne ex tinctum fuerit. Exercitium , equitatio præcipue, animi immodici affectus, ira præſertim, vitari debent, pariter ac venus, dum morbo premuntur. Nunc, primum fæces duratæ, a Clysmo emolliente removeantur, poſtea lenis purgatio Rhabarbari torrefacti cum ejusdem ſyrupo, adhibeatur; purgantia omnia fortiora, aloetica, clyſteres quoque acres in nimio Hæmorrhoidum fluxu cane angueque pejus fugienda *, Poſthac alvus laxa ſervari debet pro re nata. Sanguinem e Brachio, ſi vires ſinant, emittat æger; ſin minus cucurbitulæ, hypochondriis ac inter ſcapulas affigantur, omnisque methodus, qua revulſio fiat, tentanda.

Parti affectæ adhibeatur, linteolum molle madefactum ſpiritu vini , vel infuſione, aridarum roſarum in vino rubello, & urgente neceſſitati, addentur Gallæ, Balauſtiæ Alumen Rupeum & capita Papaverum alborum. Si Hæmorrhoides, ſic ſitæ ſunt intra anum ut hæc remedia non valeant Decoctum corticis Querci injiciendum eſt. Vires autem ægri decreſcentes, a violentia Hæmorrhagiæ, Decoctum Corticis Peruv. cum Elix. Vitrioli & Tinc. Roſarum cum Alum. Rup. adhibeatur. Maxima tamen cura eſſe debet, in ſtipticis fortioribus præſcribendis, ad ſiſtendam Hæmorrhagiam, ni magna imminens neceſſitas urgeat, facile enim tranſitus fit ad Cachexiam.

Varias

* Vid. Hoffman de Hæmorrhagiis.

Varias alias methodas, in veterum ſcriptis, ſed plerumque valde abſurdas videre eſt; ergo de iis nihil neceſſe eſt mihi dicere.

Si æger a morbo liberatus fuerit maxima cura eſſe debet, per idoneum regimen, ut recidivatio caveatur; ejus cibi eſſe debent alibiles & facilis coctionis; pro potu utatur vino rubro vel albo aqua diluto, ac ſubinde merivini poculo; omnino cruditas fugiatur, a melle & aromatibus abſtinere decet. Debet modice ſe exercere, de ambulando, equitando, ac navigando; omnes motus animi turbati fugiantur, ira (ut antea dictum erat) præſertim; veneris quoque moderatus ſit uſus, alvusque moderate laxa ſit, & ſanguis propriis intervallis emittatur.

FINIS.

I.

Hæmorrhoides, licet adeo moleſtæ, in aliis tamen morbis maximum levamen ſæpe afferunt.

I I.

A cauſis omnino contrariis producuntur.

I I I.

Fluentes interdum in Conſtitutionibus debilibus abortionem producunt.

I V.

Interdum, raro autem lethales inveniuntur.